



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Anima.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

lis ejus voluntatem. Hebr. 13. Subjecti estote omni humana creatura (Superioribus) propter Deum, quia sic est voluntas Dei. 1. Petr. 2. Non coactè sed spontaneè. 1. Petr. 5. Domine, quid me vis facere? Act. 9. Noli velle videri sapiens, noli velle mentiri. Eccli 7. Videam voluntatem Domini. Pl. 26.

Anima.

*C*ustodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Pl. 118. Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua [particulare & universale favens] adjuvabunt me. Pl. 118. O homo viator hoc totum tutum sit studium; ut animam, quam habes unicam, vitæ tuæ tempore, & in morte, quæ tantum semel tibi obveniet, salves, quam diu vivis. Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Gal. 5. Tu subjuga carnem; & ab illis abstine, quæ carnem magis spiritui rebellem faciant. Carissimi obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. 1. Petr. 2. O Catholice, O Sacerdos Dei altissimi, O religiose! quam misero eris loco respectu gentiliū, hæreticorum sæcularium? si anima tua tot signata characteribus, præterquam quod imago sit SS. Trinitatis, in æternum ardeat in inferno. In quacunque demum tentatione, arduoque luctamine agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa. Eccli 4. Singulis quasi

momentis [quia in uno tibi incerto morieris]
 fit tibi in ore & corde illud Christi Matth. 16,
Quid prodest homini, si mundum universum lu-
cretur, anima verò sua detrimentum (vel mi-
 nimam jacturam unius gradus æternæ gloriæ)
patiatur. Aut quam dabit homo commutationem
pro anima sua? quia si semel apud inferos capta,
 semel judicio divino damnata est: damnum est
 irreparabile in æternum. Demum sicut ad pre-
 tiosum thesaurum semper attendis, quem ha-
 bes vel portas in manibus tuis, dum v. g. es in
 itinere, semper sollicitus; ne eum vel tuâ cul-
 pâ ipse perdas, vel alius surripiat. Itâ dic in
 omni per diem actione, conversatione, &c.
 semper ad animam tuam, pretioso Christi san-
 guine redemptam, visione Dei in æternum pa-
 scendam, amore Dei in æternum arsuram re-
 flectens. *Anima mea in manibus meis semper.*
 Pl. 118. *Fili in mansuetudine* (homo enim man-
 suetus passionibus non distractus ad id maxime
 aptus est) *serva animam tuam, & da illi hono-*
rem (non subjiciendo Dæmoni, mundo, ulli
 homini, aut propriis corporis desideriis) *se-*
cundum meritum suum, peccantem in animam
suam [qua similis est Angelis, & pro qua Chris-
 tus mortuus est) *Quis justificabit? & quis ho-*
norificabit exhonorantem animam suam. Eccl. 10.

Equidem, quòd sancta fides nostra & Deus in
 S. Script. veteri & novâ nos doceat; ut hono-
 remus animam nostram ad imaginem SS. Trini-
 tatis creatam, pretioso Christi sanguine redem-
 ptam, & vel summis tormentis post separatio-
 nem

nem ejus à corpore cruciendam in æternum in inferno, vel damni & sensûs pœnam toleraturam ad tempus in purgatorio, vel demum immediatè, vel quasi per tribulationis temporalis ignem transfiguram ad æterna gaudia. Id sat superque stimulare nos debet; ut vitiorum fugâ, quotidiano bonorum operum virtutumque exercitio eam honoremus. Quia tamen Epicuri affecta putat vel potius optat in morte hominis animam quoque interire, & quòd unus sit finis hominum & jumentorum; & tu cum ejusmodi subinde hominibus fortè ages; qui ut eò liberius in omni pravo luxuriæ aut alteri vitio indulgeant, immortalitatem animæ suæ adeoque honorem debitum denegant, & verbum Dei scriptum vel traditum non admittunt. Hinc ratione quoque immortalitatem istam hinc adstruendam esse duxi. Quo facto ostendam quoque contra Sectarios breviter, quomodo anima corpori suo juncta moriatur per peccatum moraliter, & reviviscat per contritionem & usum Sacramentorum.

Subsectio undecima.

Immortalitas animæ probatur.

1mò. **E**odem argumento, quo demonstratur dari Deum, scilicet evidenter implicare, ut verum non sit, quòd pro vero habent, & semper habuerunt sapientes ac probi omnes omnium nationum, omnium